



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Septimum excitatorium desiderij perfectionis; quòd ad eam quærendam
status obligatione constringimur. Cap. xj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

ille quidem in seipso fortis est, quia vires suas non amittit, at comparatione externorum impedimento-
 rum infirmus, quia non valet ea periripere, nec catenas
 effringere, nec profunditatem carceris superare: ita
 charitas seipsa fortis est, quæ gradus suæ perfectio-
 nis non perdidit, at affectibus est ligata, & passionū
 vinculis cōpedita, & veluti in profundū lacū tepidi
 cordis coniecta; & tot perturbationibus implicata, vt
 non possit facillè, sicut antea, studiis perfectionis insti-
 flere, & hostes suos superare. Sicut autem virtus, nō
 à nimia, & irremissa, sed à prudētī exercitatione de-
 pendet, ita nec cūm prudenter vacamus, vllō modo
 minuitur, imō magis roboratur, quia discretā relaxa-
 tione, quasi debito tēpore dormit, & in somno vires
 ad iterum laborandū refumit. Certum est itaq; quōd
 qui non proficiunt, in prius quæ sita virtute deficiūt,
 & paulatim fiūt deteriores, qui nō conātur esse me-
 liores, idq; nos æquum est ad quotidianū profectum
 exsuscitare. Si enim opes perituras curamus sēper au-
 gere, & multo labore partā scientiā continuo studio
 & meditatione seruire, quantō magis enitendū est,
 virtutem, & animæ sanctitatē perficere, quæ & ipsa
 per se thesaurus est incomparabilis, quo vitam cœle-
 stem mercamur, & felicitatem ac finem nostrum as-
 sequimur. Ne simus sicut arbores nodosæ, quæ num-
 quā crescunt, numquam fructificant, nec labori agri-
 colæ proventuū oblatione respondent; sed sicut ar-
 bores bonæ, & fructuosæ, & studiū nostrum sit cre-
 scere, cura sanctitatis desiderii florere, & sanctis o-
 peribus tamquam fructibus abundare.

Septimum excitatorium desiderij perfectionis: quōd ad eam querendam status obligatione constringimur.

CAPVT II.

ROSTREMVM excitatorium desiderij
 perfectionis, quod decreuimus hoc loco
 tractare, non rogat, sed iubet; non ducit,
 sed trahit; nō mulcet, sed minatur: quom-
 niam non quodcunque detrimentum tepidis, & suā
 salutem negligentibus, sed manifestū periculum æ-
 ternæ dānationis inducit. Quod vt exquisitiū ape-
 riamus, sciendū est, nos qui vitam religiosā profite-
 mur, statum perfectionis profiteri, & post statū Epi-
 scoporum, & Ecclesiæ principum, sanctissimam ac
 perfectissimam Ecclesiæ vitam consecrari. Hi enim,
 cūm sint Ecclesiæ patres, fidelium magistri, Christia-
 norum duces, qui pro suæ dignitatis exigentia, non
 tam ad perfectionē currūt, quā iam perfecti sunt,
 statum Ecclesiæ supremum obtinent. Et cūm sint om-
 nis virtutis & perfectionis doctores, sanctiorē vi-
 tam habere tenentur his, qui pro ratione sui status so-
 lum debent virtutem & perfectionem addicere. Nā
 ille, qui agit, aut tribuit, vt etiā adnotauit Augustin.
 in eo quod agit, & tribuit, perfectior est eo, qui reci-
 pit, & agēti subiicitur. Vnde cūm Episcoporum munus
 sit agere & docere, & lumen aliis tribuere, sequitur,
 statū prestare omnibus alijs, etiam religiosis, quos (si
 ius humanum ob iustas causas aliud nō statueret) do-
 cerent, instruerent, regerent, & perinde atq; alios, sibi
 subiicerent. Post Episcopos verō secundum locum in
 Ecclesiæ gremio obtinent religioſi, qui non quam-
 cumq; vitā, sed statū insignitam habent, & nō quem-
 cumque statum, sed statum perfectionis profitentur.
 Habent quidem statum non statum quantum ad iudi-
 cium diuinū, quōd intuetur cor, sed etiam quantum ad
 Ecclesiā, quæ, cūm sit visibilis, intuetur ea, quæ parēt,

& exteriora respicit. Nam sicut status libertatis aut
 seruitutis in republica ciuili non in solo actu seruien-
 di, aut ad libitum viuendi, sed in externa, & solēmi
 obligatione ad seruēdū, vel in absolutione ab omni
 seruitute consistit: quare non est seruus, qui liberē, &
 ex voluntate seruit; nec liber, qui contra ius & fas à
 debita seruitute fugit, sed seruus est, qui legibus ad
 seruendum ligatur, & liber, qui legibus, aut sangui-
 ne, atque maiorum genere, ab onere seruitutis absol-
 titur: ita in Ecclesia sancta status, non ex quocūque
 actu virtutis, aut charitatis, sed ex obligationē solēmi,
 aut publica, aut saltem externa consurgit. Quare cūm
 religiosi se ad ea quæ sunt virtutis, obligent, & non
 tantum interiūs, verūm & exteriori quocūque obligent,
 & corā Prælatis, qui locum Dei gerunt, votis pauper-
 tatis, & castitatis, & obedientiæ se obstringant, sit vt
 in Ecclesia statū habeant, quo perpetuō & stabiliter
 in aliquo viuendi genere perseverare tenentur. Habēt
 etiam statum perfectionis, quoniā solēmiter, aut pu-
 blicè, aut extrinsecè coram Prælato ad ea, quæ sunt per-
 fectionis, se obligant. Votis enim, & professione sua
 pollicentur, à rebus secularibus, quibus licitè vti po-
 terāt, abstinere, vt liberi Deo vacēt, & amorī Crea-
 toris inhæreant, in quo sita est huius vitæ perfectio.
 Idque manifestè designat Dionysius Areopagita dum
 nomina indita religiosis exponit. Alij quidem, ait, eos
 therapeutas, id est, famulos Dei, ex puro seruitio & fa-
 mulatu: alij verō monachos ipsos nominant, ex in-
 diuisibili, & singulari vitæ viuentē ipsos, ex indiuisibi-
 libus sanctis contemplationibus, ad deiformem vni-
 tatem, & amabilem Deo cōtemplationem. Licet ergo
 multi status sint in Ecclesia, vt status coniugatorum,
 status regum, status doctorū, & alij similes, qui magis
 possunt vocari officia, quā status, quoniā ad diuer-
 sas actiones ordinantur, at duplex tantū est status per-
 fectionis: Alter est status Episcoporum, quorū obligatio
 est, alios vitā Christianā docere, à vitis abducere, in
 omni virtute erudire, & animā pro otib. ponere: Al-
 ter status religiosorum, quorū obligatio est perfici, à re-
 bus secularibus auelli, & ad diuinā vniōē aspirare.

Iam itaque maximè ac vehementissimè ad perfe-
 ctionis desiderium nos excitet, quōd nos qui religiosā
 vitam profitemur, & statum religionis assumptimus,
 tenemur ad perfectionē tendere, mores nostros emē-
 dare, & in virtute, ac mentis puritate proficere. Sed
 quomodo tenemur, aut qua obligatione constringi-
 mur, ne si multum emixerimus, sanguinē eliciamus,
 & iustus animab. laqueū iniiciamus; aut si plus quā
 æquū est, rē istā dilatauerimus, an sām tepidus præbea-
 mus remissè viuēdi, & de via perfectionis nō curādi?
 Certè obligatio religiosorum tendendi ad perfectionem
 hæc est, (quod ex lumine Ecclesiæ Thoma apertè col-
 ligitur) vt religiosus debeat intentione sua, ad perfe-
 ctionē tendere, & perfectæ charitatis assequutionem
 curare: debeat etiam operum exequutione, & regula-
 rum, ac statutorum obseruatione ad perfectionem
 seipsum parare, & his sanctis & religiosis operibus
 tamquam passibus quibusdam ad perfectionem abi-
 re. Hæc inquam, debet, sed dissimiliter. Nam si quis
 religiosus animum tendendi ad perfectionem omni-
 no deponeret, & mandatorum, ac votorum, ad crimē
 obligantiū obseruatione cōtentus, nollet amplius in
 virtute progredi, nec vltra proficere, is, secundū quo-
 rundā doctorū sententiā (quam non examino) in statu
 est damnationis, & lethaliter in Deum delinquit; se-
 cundum alios verō, imō secundum omnes doctores,
 saltē aliquo modo peccat, & est malus religiosus, qui
 manifestè nō vult suo statui satisfacere, & ad finē cha-
 ritatis perfectæ venire. Si autem quis intentione profici-
 cēdi, & ad perfectionē aspirandi retēta, in statutorum

Dion. lib.
 de Eccl.
 hiero. c. 6.

D. Tho. 2.
 2. q. 187.
 art. 2.

Aug. 12.
 de genef.
 ad lit. c.
 16.

1. Reg. 16.

custodia deficeret, quæ obligationem peccati non inducerent, is quidem tepè de ageret, & remissè se gereret, & perfectioni nonnullum impedimentum apponeret, non tamen ob id solum peccaret. Nos igitur, qui nunc non tã de opere, quàm de perfectionis desiderio loquimur, hac secunda doctrina prætermittenda illam primam redeamus, quæ in nobis desideratam desiderium perfectionis accendat. Et ne viros Deo consecratos, & in altissimo vitæ religioſæ statu positos, contristemus, qui graue peccatum plurquam gehentiam exhorrent, nunc graue peccatum, & quod à Deo separat taccamus, & eos, qui intentionem, & desiderium veniendi ad perfectionem omninò deponunt, stultos insipientes, & planè malos religioſos vocemus. Et ista quidem probra satis suauiter, & modestè proferimus in eos, qui gratis, & consultò volunt, si non grauius, at aliquò modo in Deum, eos in sua domo custodientem, delinquere, & amplissimum religioſæ vitæ finem, scilicet perfectionem desiderii commodorù suorum, & vtilitatum subicere.

Hos in suam vocationè peccare manifestè astruit Hieronymus dicens: Monachum in patria sua perfectum esse non posse, perfectum autem esse nolle, delinquere est. Ac si diceret, si quis perfectionis amore retento, patriam inuisere cuperet, & charos salutare parentes, & ad tempus, cù fratribus, & amicis, bono aliquò prætextu conuersari, non multa prudentia egeretur, imò immoderato affectu duceretur, qui postea amorem finis, id est, perfectionis, & sanctitatis, aut tepè facere, aut omninò labefactare: At si amorem perfectionis deponat, & se nolle amplius proficere, aut corde, aut ore dicat, is non solum imprudens est, sed tepidus etiam de ore Domini euomendus, qui in eo ipso, quòd non vult esse perfectus, apertè delinquit. Quis verò hoc in dubium vocare poterit, qui animaduertat religioſum, se quaſiturum perfectionem non tantum apud se statuiffe, verum etiam promiſiſſe? Si namque votis se paupertatis, castitatis, & obedientiæ constrinxit, quæ sunt media, & instrumenta aſſequendæ perfectionis, in illis implicitè, & quasi inuoluntè votum etiam quaerendæ perfectionis emittit. Quis enim promittit arma portare, nisi vt se data occasione defendat, aut inimicum offendat. Quis etiam pollicetur medicamentum accipere, nisi vt sanitatem consequatur? Quis à noxiis cibis, & venenosis abstinere, nisi ne in morbum, aut in mortem incurrat? Et quis similiter vouet ab impedimentis perfectionis abstinere, nisi vt perfectionem, mentisque puritatem acquirat. Ergo licet perfectionem ipsam non voueat, tamen intentionem perfectionis non obscure promittit. Quod idem Hieronymus hac oratione confitetur. Sed forsitan dicturus es: Quid ergo? Quicumque in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ ceteris. Dominum auscultat dicentem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, sequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cùm derelicta militia, te castrasti propter regnum cælorum, quid aliud, quàm perfectæ sequurus es viam. Si ergo omnes vitæ religioſæ cultores, certo quodam modo se ad perfectionem tendere, & appropinquare promittunt, certè reus videtur non bene seruata promissionis, qui animum, & desiderium proficiendi, & ad perfectionem perueniendi deponeret. Huic optimè congruit, quod Dominus Episcopo Ecclesiæ Sardicenis scripsit in Apocalypsi: Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es. Nomen enim eius, qui viuus, est nomen religioſi, quia hominem Deo consecratum, & religatum significat; & quis magis viuus, quàm ille,

Hieron.
epi. 1. ad
Heliodor.

Hieron.
epi. 1. ad
Heliodor.

Mat. 19.

Apoc. 3.

A qui vitæ ipsi, aut auctori vitæ coniunctus, ac colligatus est? Sed hic viuentis nomine insignitus, mortuus videtur, qui opera religioſi deseruit, qui desideria proficiendi deposuit, qui donatum ad perfectionem veniendi dereliquit. Planè iste mortuus videtur, & à vitæ spirituali desertus, qui in re tanti momenti deficit, & in ipsum finem vocationis suæ, nimirum in perfectionem delinquit. Nam manifestè perfectionem lædit, qui cùm eã deberet desiderare, & amare, non diligit, & qui instrumenta sanctitatis aſſequenda contemnit. Coniugatus, qui vxori, quod suum est perenti, non satisfacere, & filios familiamque suam perire sineret, non paruam in sua conscientia noxam contraheret. Pastor qui non vigilaret super gregem suum, & oves tempore conuenienti per se, aut per alios non pasceret, nec à lupis defenderet, reus censeretur & esset, diuini iudicii. Miles, qui in præcinctu belli positus, nihil de prælio cogitaret, nec se ad confugiendum cum hoste disponderet, sed tantum ludere & otari decerneret, in regem, ac in militiam delinqueret. Hoc autem ideo, quia omnes isti vnum debent, & aliud præstant, & cùm aliquòd munus habeant, nequaquam suo muneri satisfaciunt. Eadem igitur est religioſorum causa, non curantium proficere, & non solum idem, sed grauius etiam immaniùſque delictum. Eadem quidem causa, quoniam religioſus pro munere, & statu suo debet ad perfectionem tendere, & vitæ suæ emendationem curare: ad hoc namque, sæculum abnegauit, opes, voluptates, & propriam voluntatem abiecit, & se totum, corpus, & animam Deo consecrauit. Grauius autem est delictum ipsius, quia non sceminam aliquam sibi desponsatam, non familiam aliquam specialem, sed religionem matrem honorabilem, & omnem familiam suorum commilitonum offendit. Non oves rationis expertes, quæ, si pereant, non ingens detrimentum est, sed rempublicam virium & sensuum suorum dissipat, & luporum, id est, demonum, laqueis exponit: Non humanum ducem aut temporalem militiam, sed Christum imperatorem, & spirituales militiam aduersus vitia, quam suscepit, quam professus est fronte inuerecundæ meretricis spernit.

Sciamus itaque, & intentissima cogitatione meditemur, non solos illos delinquere, & in Deum iniuriosos esse, qui malè faciunt, sed & illos quoque, qui cùm possint, & debeant, bona non præstant. Duo quippe esse peccatorum genera, alterum quo malum patramus, alterum, quo bonum omitimus, nemo est qui nesciat. Quare dixit Iacobus Apostolus: Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Et qui talentum abscondit, non propterea damnatus est, quòd illud perdidit, nam integrum talentum restituebat, sed quia lucrum aliquod non acquisiuit. Non solum ergo peccas, o religioſe, si proprium habeas, si propria voluntate gubernaris, si tuæ mentis & carnis puritatem contamines, sed etiam si ad perfectionis bonum, quod mente concepisti, & propter quod facata bona reliquisti, non animi intentione & desiderio contendas. Iam enim bonum, quod scis & potes, & debes facere, non fecisti, iam talentum vocationis tuæ, & magnarum misericordiarum Dei in sudario ignauitæ absconditum tenuisti, & ideo non meritum, sed peccatum est tibi. Audi, quàm pulchrè, & quàm aptis similibus id astruat Chrysostomus. Hoc igitur, inquit, quispiam rogarit, qui nec boni quicquam, nec mali fecerit, quemnam locum is ipse sit habiturus. Hoc enim ipsum non fecisse bonum, nihil aliud est, quàm fecisse malum. Nam si seruum habueris non furem, non ebrium, non contumacem, sed sobrium, modestum, & omni flagitio vacuum;

Iacob. 4.

Chrysoſt.
serm. de
virtu. 5.
Tom. 5.

hic si domi quotidie otiosus sedeat, si quorum a seruo usus deberetur domino, nihil efficiat, dic obsecro, nonne flagellabis eum? nonne tormentis afficies? Et tamen nihil quicquam flagitij commisit. Satis est igitur mali hoc ipsum, nihil fecisse boni. Sit nobis agricola quidam, nihil porro peculij nostri dissipet, neque dolis furto furripiat, tantum suas ille manus compressas tenens, domi sedeat, semina non spargat, rura non scindat, vites non colat, & quod propterea ad agriculturam pertineat, nihil profus efficiat, nonne ab ipso supplicium sumemus? Et tamen nihil intulit iniuria, nec habemus omnino, quid illum accusare possimus: sed illud ipsum arbitramur iniuriam. Et nostro quidem in corpore, abstineat capite manus, non linguam excindat, non oculos euellat, non denique tale faciat: otiosa tamen fuerit, nec sui quicquid est officij toto corpori sufficiat, nonne ipsam porius fuerit abscondere, quam arentem, & inutilem toto corpori manum circumferre? Quid autem os, si neque manum absumpserit, neque pedes momorderit, quæ verò ad se pertineant, omnia profus omiserit, nonne illud obsignasse melius fuerat? In his igitur si non modò aliquid fecisse mali, verum etiam aliquid omisisse boni, magna comprobatur iniuria: porro diuinis in rebus id ipsum multò magis appareat.] Hanc sententiam tepidas quisque ad seipsum accomodat, & culpam suam; in non proficiendo clarè perspicit. Nam & ipse seruus est, non hominis sed Dei, qui tamen in domo eius non sicut seruus diligens, & fidelis, sed sicut statua inaninis, iners & otiosus manet, & inter alios famulos strenuè laborantes, ipse non laborat, sed suæ commoditati, & ambitioni deseruit. Ipse agricola est, cui Dominus vineam proprii cordis locauit, quam diligenti studio virtutis excoleret, à qua tamen, nec superflua amputauit, nec vites, hoc est, virtutes, aqua orationis rigauit, nec tempore fructuum aliquem patrifamilias prouentum restituit. Ipse membrum est corporis religionis, in qua vrinam otiosus maneret, & nihil mali faceret, hoc enim forsitan prælati tolerarent, sed malis exemplis, & verbis discordias excitantibus, alia membra separat, atque discindit. Ipse denique os, sed os mutum: loquax ad ridicula, & inutilia, & mutum ad Dei laudes, ad verba ædificationis, & ad peccatorum confessionem, quod dum sic tacet, minimè corpori prodest, & dum loquitur, si non aliis, at sibi ipsi officit. Nam scriptum est: Os stulti contritio eius; & labia ipsius ruina animæ eius.] Qui ita se gerit, & manus suam sicut debuit, non implet, certè in hoc absque peccato esse non poterit, & quamuis sit manus in manu, non erit innocens.

Prou. 18.

Prou. 15.

Psal. 34.

De his tepidis & otiosis hominibus, qui desiderium proficiendi ablegant queritur Dominus, cum per Dauidem ait: Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.] Ipse enim attulit eis bona; à haecis mundi decipientis eripuit, bono sanctæ & religiosæ vocationis donauit, regulis & institutis

A communiuit, prælatorum cura circumdedit, fratrum exemplis incitauit, comminationibus terruit, promissis allexit. Illi verò homines ingratiissimi reddiderunt illi pro bonis mala, vt dum bonis non responderunt, & mala intulerunt, summum gradum ingrati tudinis occuparent. Et quamam sunt ista mala? Sterilitatem animæ meæ.] Ea scilicet, quod eum debuissent proficere, non profecerunt, & pro virtutum fructibus vitiorum spinas, & tribulos germinarunt. Habuerunt se erga benefactorem suum, sicut arbores infructuosæ, in quibus multa folia, nullum verò fructum reperies. Ita quidem isti multa protulerunt verba, velut multa folia. Promitto paupertatem, folium est; promitto castitatem, folium est: promitto obedientiam, folium est: promitto morum emendationem, folium est; hanc regulam adimplebo, hoc statutum custodiam, hoc consilium obseruabo, folia sunt. Sed quid ait Dominus: Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ:] quia inter tot promissiones, nullam reddidit, inter tot verba, nullum opus, inter tot folia, nullum fructum inuenio. Quid isti, si non melius sapiant; si non respiciant, expectare possunt, nisi post tantam ingrati tudinem, lugendum casum, miserabilemque ruinam? Quam non præmium religiosæ vitæ, quam solo verbo tenuerunt, sed pœna vitæ, inutiliter, & sine fructu transactæ sequetur. Nam, vt inquit Paulus: Terra sæpè venientem super se bibens inbrem, proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledictio proxima, cuius consummatio in combustionem. Nulla terra opportuniorem habet inbrem, & magis assiduam, quam anima religiosa, cuius cor Dominus continuis auxiliis internis, & doctrina, & exemplis fratrum rigat: si hæc pro floribus tribulos, & pro fructibus spinas, & pro bonis operibus sterilitatem & otiositatem proferat, non multum abest ab ira Dei, à maledictione Saluatoris, à morte secunda. Liqueat ergo, religiosos debere perfectionem querere, & ad eam non tardis conatibus festinare, cui obligationi, si non (vt patet) correspondeant, nequaquam suo muneri satisfacere, neque religiosæ vitæ, quem occupant, locum implere. Quamobrem excitent se huius validissima, considerationis stimulo, ad quarendam, & desiderandam perfectionem, vt possimus & nos dictam Pauli comminationem lenire cum ipso dicentes: Confidimus autem de vobis dilectissimi, meliora, & viciniore salutem, tametsi ita loquimur. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis.] Ipse aspiciat opus, & laborem nostrum, quo nos perficere & emendare contendimus. Aspiciat etiam dilectionem nostram, qua propter ipsum omnia in sæculo dilecta negleximus, & sua motus misericordia nos roborat, vt celeriter ad bratium perfectionis, tum desideriiis curramus. Amen.

Hebr. 6.

Hebr. 6.

**